



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 87. An juramentum alteri factum obliget, si hoc, quod jurasti obstat fini perfectiori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**



sed tantum promississet Cajæ, *Sanch.* de matr. L. 1. d. 50. n. 2. adhuc dicit Juramentum illi promissioni oppositum fore irritum, quia materia per obligationem promissionis erat reddita illicita, unde si Cajæ tibi postea remitteret primum Juramentum vel promissionem, non obligareris Titiaë, quia quod initio invalidum est, tractu temporis non convalescit, uti habet communis regula Juris. Si tamen tales posteriores contractus impleantur, sunt validi, quamvis sint illiciti, uti habet communis & vera sententia cum *Sanch. Tamb.* n. 9. & aliis, quia per Juramentum non tollitur potestas faciendi actum, qui alias poterat valide fieri. Vide *Dicast.* d. 3. à num. 199.

- 324 Q. 87. *An Juramentum alteri factum obliget, si hoc, quod jurasti, obstet fini perfectiori.* R. Affirmant Authores communiter, quia in promissione semper spectatur, quod gratius est illi, cui fit promissio, cum autem homini sæpe gratius sit minus bonum, Juramentum de minori bono homini factum obligat, si tamen sit acceptatum, secundum dicenda n. 358. & iterum à num. 532.
- 325 Hæ tamen limitationes addi possent: 1. Si matrimonium liberaliter jurasti, non teneris, si velis ingredi Religionem, uti omnes docent cum *Castrop.* d. 2. p. 6. n. 10; si tamen sacros Ordines tantum velles suscipere, non eses liber, uti notat *Tamb.* §. 3. num. 16, quia promissio tua ex dispositione Juris non habet aliam conditionem, quam hanc, nisi Religionem elegero. 2. Si jurasti alia, quam matrimonium, quæ obstent ingressui in Religionem, v. g. si jurasti te famulaturum toto tempore vitæ, *Tamb.* n. 14. putat te non obligari, quia si conditio illa, nisi elegero Religionem, involvatur in Juramento matrimonii inveniendi,

multo



multò magis involvetur in ceteris promissionibus; sed oppositum videtur verius, nam quòd illa conditio involvatur in promissione matrimonii, non est ex Jure naturæ, sed positivo, quod de aliis promissionibus nihil simile disposuit; & ratio potuit esse, quia matrimonium adfert vinculum minùs dissolubile, uti insinuat *Suar. L.2. c.12. n.17.*

3. Si matrimonium jurasti ex Justitia, v. g. quia <sup>327</sup> deflorasti virginem, obligaris, nec poteris ingredi Religionem, *Tamb. n.15.* aliique communiter, quia Jura id tantùm statuunt de liberali promissione.

4. Si juratus liberaliter promissisti alteri famulatum <sup>328</sup> vel aliud quid simile, putat *Sanchez*, teste *Tamb. n.16.* te liberari, si velis Ordines sacros suscipere, quia tales promissiones non sunt tanti momenti, ut Ordinibus suscipiendis obstare debeant; sed & hoc difficulter probari potest, cum de hoc nulla adferatur Constitutio Juris; de Jure naturæ autem talis conditio non est imbibita, nec supponitur fuisse inclusa ex intentione jurantis, nisi hic aliter sciat. Dixi in quæstione, *Juramentum*

*alteri factum*, nam Juramentum de opere honesto sed minùs bono in Dei præcisè honorem & non in utilitatem hominis, non inducit obligationem, si oppositum est melius vel si ei opus melius substituat, quia tum habet se uti votum, quod imbibit conditionem, *nisi quid melius occurrat*, ita communis cum *S. Tb. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. Illf. T. 5. n. 59.* & pluribus dicitur n. 355.

Q 88. *An Juramentum obliget, quo quis jurat* <sup>329</sup> *non revelare artem, v. g. curandi podagram.* R. Tum non obligat, si nec tu nec ille, qui te docuit, satis potest providere necessitati & bono communi, aut si ars illa vobiscum emoreretur, ita *S. Thom. Suar. Fag. cum Burgh. Cent. 1. Cas. 75.*